

(1278) 1279, gener, 21

*Sibil·la, comtessa d'Empúries, cedeix a Arnau de Ribera, cavaller, el directe domini que té sobre una feixa de terra que Maria Sadurní de Madremanya i la seva filla Guillema . han venut a Bernat de Bellmirall.*

ASD núm. 247, perg. orig., 190 x 265 mm.

Notum sit cunctis quod nos domina Sibilia, Dei gratia Impuriarum comitissa et uicecomitissa de Bassa ac domina castri de Monellis, gratis et ex certa sciencia per nos et omnes nostros heredes et successores in dicto castro concedimus et donamus tibi Arnaldo de Ripparia militi et tuis et quibus uolueris perpetuo pro libero et francho alodio totum directum dominium et ius quod habemus et habere debemus qualibet racione in tota et super tota illa feixia terre quam Maria Saturnina de Matremagna et Guilielma eius filia uendiderunt Bernarda de Pulcrospeculo et suis perpetuo, ut in instrumento uendicionis inde facto laciis continetur. Pre dictum itaque directum dominium et totum aliud ius quod in et super predicta feixia habemus et habere debemus quouis modo tibi et tuis donamus et irreuocabilem(sic) concedimus pro libero et francho alodio, cum terciis, laudismiis et omnibus foriscapiis et aliis quibuslibet iuribus et usaticis nobis inde pertinentibus principaliter et accessorie, prout melius ac utilius <lici et intelligi possunt ad tuum et tuorum bonum ac sanum intellectum et comodum et utilitatem ac ad omnes tuas et tuorum uoluntates ibi ac inde pro francho et libero alodio faciendas, dantes et concedentes tibi et tuis omnes uoces, iura et raciones et acciones meas r.eales et personales, utiles et directas, ordinarias et extraordinarias no bis ibi uel inde aliquatenus competentes, faciendo et constituendo inde te procuratorem et uerum dominum ac legitimum possessorem tamquam in rem tuam propriam, mitentes ac introducentes inde te cum hoc presenti publico instrumento perhenniter ualituro in corporalem et uacuam horum omnium possessionem uel quasi, constituendo predicta nomine tuo possidere donec possessionem adeptus fueris corporalem, quam passis sumere et penes te et tuos perpetuo retinere quandocumque uolueris accedere ad predicta. Et sic promittimus tibi bona fide et firma ac solempni stipulacione quod contra huiusmodi donacionem seu aliqua predictorum nullo tempore ueniamus nec uenire aliquem nomine uel racione nostra permitamus iure aliquo siue causa, et si aliquo iure scripto uel non scripto siue excepcione aliqua in futurum predictis obuiam ire possemus, illis omnibus et omnibus aliis pro nobis facientibus penitus renunciamus, et specialiter illis legibus propter quas donaciones causa ingratitudinis reuocantur. Hoc autem facimus saluis et retentis tenetori mansi Saturnini illis duobus denariis quos in . predicta feixia accipit annuatim pro turnis ad adiutorium census quem dictus mansus prestat et facit.

Actum est hoc .xn. kalendas februarii anno Domini .MCCLXX. octauo.

Sig+num prediète domine Sibilie, Dei gracia Impuriarum comitisse, qui hoc laudamus et firmamus. Testes huius rei sunt Arnaldus de Bassa, miles et Raimundus de Sancto Martina, de Monellis. Sig+num Guilielmi de Rippa, baiuli, qui hoc lauda et firmo.

Sig(s. man. )num Petri de Sancto Antonio, qui hoc scripsit mandato Raimundi de Sancto Antonio, publici scriptoris de Monellis. (s. man.) Raymundi de Sancto Antonio, publici scriptoris de Monellis, qui hoc subscribo. L'escriptura present és diferent de l'anterior, a pesar de les moltes coincidències que s'hi observen.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 508-509